



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Quid lotio manuum & pectoris percussio.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

extensione manuum supremitas digitorum debet esse in cælum directa ; ut discam mi Domine debere quoque animum meum in cælum directum esse.

Per junctionem manuum Sacerdotis ; quæ semper ante quamlibet benedictionem fit ; significatur mihi ; virtutem omnem benedictionis provenire à divina & humana natura conjunctis in persona tua ò fili æternæ ; ab unione nostra tecum ; & cum proximo ; quia hæc est omnis lex & Prophetæ. Hanc triplicem unionem mihi ; ut in æternum evenire velis ; junctis suppliciter oro manibus.

Quid lotio manuum & pectoris percussio.

CUM extremitates digitorum lavat Sacerdos ; nolit id in speciem ad exemplum Pilati facere & Pharisæorum ; quales pro dolor etiam sunt inter Christianos ; utinam non Sacerdotes. Spero mi Deus in veritate me profiteri posse (interim non scit homo ; an odio vel amore dignus ; & de propitiato peccato non debet esse sine metu) quod à gravioribus peccatis liber sim ; & ideo extremitates digitorum lavem. Quod desiderium verum habeam etiam à levioribus culpis me purificandi ; si in quam fors etiam post Missam inchoatam lapsus essem.

Dum manu percutit Sacerdos pectus dicens *Agnus Dei* : rogo te mi Domine ; ut tollas peccata mea ; & pacem mihi des tecum in æternum. *Ad Domine non sum dignus* ter percutiendo pectus protestor me indignum esse sumptione S. Corporis tui. 1. Ob meam nihilitatem. 2. Ob

Ob peccata quæ me infra abyssum nihilitatis demergunt. 3, Ob tuam infinitam Majestatem.

Quid positio manus super Altare librum, unius super patenam, & alterius super librum.

Dum junctas manus in aere levatas tenet, & incurvatus super Altare eas ponit Sacerdos in initio præfationis vel aliàs. Signum est, quòd omnes alias curas velit seponere totus cælestibus occupatus. Dum autem legendo Epistolam manum supra librum ponit. Cogitabo non sufficere verbum Dei legere, sed manus ad opus applicandas esse. Dum una manus requiescit super librum, & altera super patenam, supra quam immediatè post Sacerdos positurus est hostiam. Cogitabo veri Sacerdotis unicam & occupationem & solatium esse debere verbum Dei, & divinissimum hoc Sacramentum.

Quid Benedictiones, & signa Crucis, qua fiunt manibus.

Benedictiones fiunt vel imponendo manus, vel formando manibus Crucem. Priori tantum modo fiebant in antiqua lege, quia de Cruce & Benedictione per eam in mundum venturâ nil nisi obscurè aliquid sciebatur. Unicum habemus exemplum in Jacobo nepotibus suis Josephi filijs Manasse & Ephraim benedicente manibus decussatis in modum Crucis, dextram imponendo capiti Ephraim stantis ad sinistram, & lævam capiti Manasses stantis ad dextram Jacobi. *Allegoricè enim per manus*
Jacob